

<IV.>

<SUPER QUARTUM SENTENCIARUM.>

<A.>

<Incepicio.>

|| Liber quartus Sentenciarum hic primus declaratur.*A*  
Principium in quartum.*D*  
Principium in 4<sup>um</sup> Sentenciarum.*H*

|| *A 1<sup>r</sup>*  
*D*  
*232<sup>r</sup> b*  
*F*

*131<sup>v</sup> a*  
*G 1<sup>r</sup>*  
*H 114<sup>r</sup>*  
*I 180A*

<I.>

<1.> **S**I quis vestrum<sub>1</sub> indiget sapientia, postulet a Deo,  
Jacobi 1<sup>o</sup><sub>2</sub>.

*K 86<sup>r</sup>*  
*L 1<sup>r</sup> a*

Circa *principium primi Sentenciarum* in introductione<sub>3</sub> huius thematis dixeram, quod liber quartus Sentenciarum sacramentorum altum misterium continet, propter que ipse quartus liber est apoteca sanissima<sub>4</sub> fidelibus redolens; et ibidem in divisione thematis dixeram, quod sacra scriptura quoad 4<sup>um</sup> commendatur ex liberalitate<sub>5</sub> largiflua, quia omnes indigentes invitat dicens: »*Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo.*«

<2.> Igitur, qui<sub>6</sub> sacramentorum misterium | altum cupit ali- | *I*  
qualiter attingere, qui satagit apotece suavissime redolenciam gu- *180 B*  
stare, et qui liberalitatis largifluæ se desiderat fore participem: 'postulet a Deo'. Ad hec siquidem tria necessaria est sapientia, de qua dicitur in themate: »*Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo*« Nam quia quilibet nostrum in- *10*  
dignit sapientia, ut Trinitas misterium fide perciperet, quoad primum

1) *Codd.*: super lineam add. *G*. — 2) *Codd.*: *V<sup>o</sup> A*. — 3) *Codd.*: in *G om.*  
— 4) *Codd.*: suavissima *IHK*. — 5) *Codd.*: libertate *A*. — 6) *Codd.*: quia male *A*.

Sententiarum librum, et quivis nostrum indiguit sapientia, ut ductionem omnium rerum, lapsum angeli et hominis, et redentem, hominis per gratiam mediatoris Dei et hominum agnosc quantum ad secundum librum, et quilibet nostrum indiguit sapientia, ut benedictae incarnationis misterium et donorum Spiritus Sancti virtutum susciperet profectum, quantum ad tertium librum, quarto revera quilibet nostrum indiget sapientia, ut percipere sacramentorum misteria, quoad quartum librum. Igitur sane Augustini vox et thematis intonat, nos ad postulandum sapientiam provocans, qua sacramentorum dinoscuntur misteria, ita dicit: »Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, quia Deus dabit, sapientia ministrabit, et quivis vestrum suscipiet, si meritis a Domino postulabit. Nec dubitet quis petitum veraciter tenere, si voluntate sincera voluerit sapientiam postulare. Nam ipse Dominus Johannis 16<sup>o</sup>: »Amen, amen, dico vobis, si quaecumque petieritis Patrem meum, in nomine meo dabit vobis.« — Eodem Salvator ad refellendum dubietatem petentis hoc adverbium iuramentum »amen« geminat, ut, quod ex duplici eius natura verba promissio processerant. ostendat, sc. ex eius humanitate et divinitate; huic enim certitudo exprimitur veritatis, cedat ergo petentis hesitatio. Nam et Jacobus, amicus veritatis, ait: »Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei, postulet autem in fide nichil hesitans. Quia Veritas ait: »Amen, amen, dico vobis, si quaecumque petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis.« Quicumque ergo petere, noli dubius hesitare. Si quid in nomine Jesu petis, certe sapientiam petis, noli discedere, persevera, ut merearis accipere, certe indiges sapientia, postula perseverans et dabit tibi; ipse petendum excitat, ipse promittit, ipse docet te et singulos, quales debeamus petere, ut mereamur petitum finaliter obtinere. Nam Luce 11<sup>o</sup>: »Ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis: querite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui querit, invenit, et pulsanti aperietur.« — Ecce, karissimi, hortatur nos Dominus et ammonet, quid facere debeamus, quia petere in fide, querere in spe et pulsare in caritate: petere in fide sapientiam, querere in spe gratiam, et pulsare in caritate vitam eternam. Ecce, karissimi, et nos a se munera petentibus docuit, et nobis petentibus hoc dare promisit; sic enim dicit: »Petite et dabitur vobis, querite et invenietis, pulsate et apperietur vobis!« Ubi ait ven. Beda: »Dominus noster paratus est dare quod petimus, si nos paratos invenerit accipere, si nos dignos sue gratiae curemus efficere.« — Ideo qui vult petere, petat veraciter et humiliter, qui querere cupit, querat summa diligentia, cave

7) I; codd. male reparacionem. — 8) Codd.: atque A. — 9) Codd.: idec  
— 10) Codd.: a deo AG. — 11) Codd.: post veraciter male add. non a v. — 12) Co.  
repellendum AHL, referendum G. — 13) G; idem ex corr. I; veram humilitatem co

ne terrenis inhereat cor eius desideriiis. Qui pulsare vult Domini largitatem, teneat corde sincero, constanti animo bonam voluntatem, quia sic Domino largiente, quod petit, querit, et pulsat, merebitur invenire.

<3> Igitur confirmetur in fide Christi, querat cum pura confessione et mundet se ab omni inquinamento et opere malo. Si quis iuravit illicite, nolit, iuramentum implere. Nam dicit Isidorus: »In malis promissis prescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute iurasti, noli facere, impia est promissio, que scelere adinpletur«. Et ven. Beda Omelia 43<sup>a</sup> dicit: »Si quid nos incaucius iurare contigerit, quod observatum peiorem vergat in exitum, libere illud salubriori consilio mutandum novemur, ac magis instante necessitate peiorandum nobis, quam pro vitando, periurio in aliud crimen gravius esse divertendum«. — Et idem patet per b Augustinum super illud Marci 6<sup>o</sup>: »Contristatus est rex propter iusiurandum«, et per b Ambrosium in libro 'De officiis' et per Magistrum in 3<sup>o</sup> Sententiarum, distincione penultima. Ubi ex auctoritatibus plurimis concludit dicens, quod iuramentum, quod est »contra fidem, vel contra caritatem, quod observatum in peiorem vergit exitum, potius mutandum est quam implendum.« Unde »qui sic iurat, vehementer peccat, cum autem mutat, bene facit. Qui autem non mutat, dupliciter peccat, et quia iniuste iuravit, et quia facit, quod non debet«. Hec Magister. — Si ergo quis vestrum iuravit, ut exiret de Bohemia nunquam reversurus, hic illicite iuravit, rescindat iuramentum stultum, illicitum, a dyabolo et suis satellitibus, inductum, ne incurrat duplex peccatum. Vere sic iurans indiget sanctorum supra allegatorum sapiencia; 'postulet a Deo, et dabitur ei', quod cognoscat, quia huiusmodi iuramentum est caritatis ruptivum, veritatem deprimens, maculans honestatem, destruens utilitatem et contra primum iuramentum machinans bonum dirumpere universitatis studii Pragensis. Penset hec quivis vestrum, redeat, ad cor proprium, si nondum cepit, hanc sapienciam, 'postulet a Deo et dabitur ei', quia tuba Spiritus Sancti intonat dicens in themate: »Si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo«. Nam actus sapiencie est cognoscere divina et amare et contemplari divina, ergo si quis vestrum cupit cognoscere, amare et contemplari divina finaliter, 'postulet a Deo sapienciam', ut per eam cognoscat, septem divina in quarto libro tradita sacramenta. Et quidem quilibet nostrum indiget sapiencia, qua possemus cognoscere, quomodo sacramentorum efficacia ex laere Christi aperto lancea emanavit, quilibet

<sup>14</sup>) DH; Ysodorus IKL; Ysydorus G; Ysiodoros A. — <sup>15</sup>) Decretum t. XXII, q. IV. c. V; Omnes codd. male: iurando. — <sup>16</sup>) Codd.: i. A; illud G. — <sup>17</sup>) Codd.: noli G. — <sup>18</sup>) Codd.: male et A. — <sup>19</sup>) Codd.: satellibus H; satalitibus K. — <sup>20</sup>) Codd.: I male ruptum, corrector<sup>2</sup> correcturam non complevit; ruptivum A, male ruptivum L. — <sup>21</sup>) Codd.: male redeat K. — <sup>22</sup>) Codd.: ceperit AFHKL. — <sup>23</sup>) Codd.: om. G.

indiget sapiencia, ut saltem aliquo modo, etsi non perfecte, sacramentorum posset efficaciam contemplari.

|I  
181B <4.> Quis enim nostrum explicare possit baptismi | effica-  
ciam, que mens comprehendere, que hanc gratiam lingua narrare  
5 valeat, ubi in<sup>24</sup> innocenciam redit<sup>25</sup>, iniquitas et in novitatem ve-  
tustas, in adopcionem veniunt alieni et ingrediuntur in hereditatem  
extranei, de impiis iusti, de avaris benigni, de terrenis incipiunt  
esse celestes. Sic loquitur Leo sanctus papa: »Ibi votum  
10 »primum profitemur Deo Patri, in quo post clamamus 'Pater  
»n o s t e r'. Ibi antiquum hostem abicimus, ibi omni renunciavimus ne-  
»quicie, ibi<sup>26</sup> donum<sup>26</sup> intellectus<sup>26</sup> Sancti<sup>26</sup> Spiritus<sup>26</sup> in<sup>26</sup> lumine<sup>26</sup>  
»fidei acceptamus«. Vere quilibet nostrum indiget sapiencia, ut cog-  
noscat, quomodo in Christi baptismo notatur eius humilitas et nostra  
utilitas. Ipsius humilitas notatur in quatuor: Primo, quia venit. Quis?  
15 Certe Jesus, i. e. dator salutis et non indigens salute. 2º, quia<sup>27</sup> venit  
in Jordanem, ubi creator elementorum subiecit se aque, humili ele-  
mento. 3º, quia venit<sup>28</sup> ad Johannem, Deus ad hominem, Dominus ad  
servum, rex ad scutiferum, magister ad discipulum, sol ad luciferum.  
4º, quia venit, ut baptisaretur ab eo, sc. fons a rivulo<sup>29</sup>, plenitudo a  
20 scilla<sup>30</sup>, auctor baptismi a baptismi ministro. Ecce ad hec digne  
pensanda<sup>31</sup>, quibus nostrum<sup>32</sup> indiget sapiencia. Nec solum ad hec,  
sed<sup>33</sup> ut pensetur<sup>34</sup> nostra circa Christi baptismum utilitas, que  
notatur in quatuor, que circa baptismum eveniunt: 1º, quia Chri-  
stus, quando baptisatus fuit, ascendit de aqua, per quod in<sup>35</sup>  
25 nobis baptisatis notatur gracie infusio; homo enim per baptismum  
liberatus a culpa ascendit ad virtutes et ad septem Sancti Spiritus  
I || dona; 2º apertum || est celum, per quod notatur hominis descen-  
181C dentis post baptismum evolacio; 3º descendit Spiritus Sanctus cor-  
porali specie sicut columba super ipsum, per quod notatur, quod  
30 baptismus facit hominem Spiritus Sancti templum; 4º vox Patris  
audita est: »Hic est Filius meus dilectus« — in quo notatur, quod  
per baptismum de filio ire fit filius gracie.

<5.> Ecce aliqua tacta sunt de sacramento baptismi, pro-  
quibus »si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo«,  
35 quia dabit sapienciam, quam consequetur<sup>36</sup> spiritus fortitudinis,  
cuius efficaciam<sup>37</sup> est sacramenti confirmacionis, professionem  
baptismi consummans<sup>38</sup>, ut eius, quod creditur per fidem baptismi  
ad iusticiam, ore fiat confessio ad salutem, Romanorum 10º<sup>39</sup>.

<sup>24</sup>) FHL: om. Codd. — <sup>25</sup>) Codd.: ex correctura H, reddit AGIK; male rediit L. — <sup>26</sup>) Codd.: intellectus Spiritus S. ibi donum et lumen A. — <sup>27</sup>) Codd.: qua H antea delevit notatur, in G cum notatur. — <sup>28</sup>) Codd.: om. A. — <sup>29</sup>) Codd.: rivulo FH, riwlo ID. — <sup>30</sup>) Codd.: male scintilla L. — <sup>31</sup>) Codd.: male pensandi FK. — <sup>32</sup>) Codd.: vestrum I. — <sup>33</sup>) AFG; sc. HI. — <sup>34</sup>) Codd.: ante pensetur additum perse A. — <sup>35</sup>) Codd.: om. AGL. — <sup>36</sup>) Codd.: consequitur HGL, consequatur K. — <sup>37</sup>) Codd.: efficaciam male I tantum. — <sup>38</sup>) Codd.: ex corr. A. — <sup>39</sup>) Codd.: 4º K; om. L.

<6.> Postulet etiam quivis<sup>40</sup> sapientiam, quia in promptu adest cum spiritu sapientie efficacia sacramenti eucharistie, quo nichil salubrius, quo peccata purgantur, virtutes augentur et mens omnium spiritualium carismatum impingwatur, quod offertur in ecclesia pro vivis et mortuis, ut omnibus prosit, quod<sup>41</sup> est pro salute omnium a Jesu Christo<sup>42</sup> Domino institutum. Cuius quidem sacramenti parumper quis cupit sapere misterium? Pro certo indiget sapientia. Quis enim, etiam<sup>43</sup> aliquantum sapiens, misterium et suavitatem huius sacramenti potest exprimere, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur et recolitur, quod etiam simul edentibus mors est malis, vita bonis, quod receptum a malis ipsos a Deo separat et receptum a bonis in Christo manere facit, dicente Christo Johannis 6<sup>o</sup>: »Qui manducat meam carnem et »bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo«. Unde<sup>44</sup> Bernhardus<sup>28</sup> in sermone de sacramento ad Petrum papam dicit: »Hoc de bonis et digne sumentibus sciendum est, non »de flagiciosiis; | sane in mensa una, in cena Domini, de pane uno<sup>28</sup>, | I »sc. consecrato, Petrus et Judas acceperunt, bonus in vitam, malus 181D »in penam, bonus in beneficium, malus in testimonium, bonus in »salutem, malus in gehennalem mortem, quod totum usque adhuc 2, »completur in ecclesia in sacramento altaris: quod sacerdotum ore »conficitur, non creatur, non nascitur«.

<7.> Ecce mira Bernardi sapientia quid dicat<sup>45</sup> circa venerabilis sacramenti misteria, ad que noscenda »si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo«. Nam cum sapientia aderit efficacia sacramenti ordinis, idoneos dispensatores misteriorum Dei efficiens ministrosque<sup>46</sup> novi testamenti, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant in eis, 1<sup>o</sup> Corinthiorum 14<sup>o</sup>, ut omnia utilia sibi et aliis faciant.<sup>47</sup> Nam dicit Gregorius super Ezechielem Omelia 13<sup>a</sup>: »Ordo in ecclesia producat, ut sibi et aliis utilis sit ad honorem predicacionis. Et cui non expedit, etiam si hoc appetat, repellatur«. Hec si quis sane<sup>49</sup> vult<sup>49</sup> concipere<sup>49</sup>, indiget sapientia, postulet a Deo, ut intelligat, quod dicit Bernardus 4<sup>o</sup><sup>50</sup> Flor. ca<sup>o</sup> 14<sup>o</sup>. »Nullus ordo<sup>51</sup> quempiam<sup>52</sup> recipit inordinatum; quod »enim inordinatum est, ordo non est«, ut ergo, quis<sup>53</sup> vestrum sit ordinatus, indiget sapientia, ergo postulet a Deo, quia dabit sapientiam, cum qua in promptu erit spiritus consilii, cum quo aderit efficacia sacramenti coniugii ad conservationem speciei humane deserviens, divino cultui<sup>54</sup> servos multiplicans, pacem inter homines federans, humane infirmitati condescendens, ut qui se

<sup>40</sup>) Codd.: quis I. — <sup>41</sup>) Codd.: quomodo A. — <sup>42</sup>) Codd.: om. GH; Christo Jesu K. — <sup>43</sup>) Codd.: om. I. — <sup>44</sup>) Codd.: ubi AHL; om. G. — <sup>45</sup>) Codd.: dicit AFLK. — <sup>46</sup>) Codd.: male quia L. — <sup>47</sup>) Codd.: male fiant I. — <sup>48</sup>) I; vlt sane concipere Codd. — <sup>49</sup>) Codd.: om. HG. — <sup>50</sup>) Codd.: ergo A. — <sup>51</sup>) Codd.: quidpiam IK. — <sup>52</sup>) Codd.: quivis G. — <sup>53</sup>) Codd.: male cultu A.

ad instar Apostoli et castorum sacerdotum, quibus annexa est continencia, continere non sufficiunt, nubant saltem in Domino, nam dicit ||| Apostolus 1<sup>a</sup> Corinthiorum 7<sup>o</sup>: »Volo omnes  
 || I 182 A »homines esse sicut me ipsum; sed unus quisque proprium  
 5 »donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico  
 »autem non nuptis, et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant,  
 »sicut et ego. Quod si non se continent, nubant«, et in fine capituli addit<sup>55</sup>: »tantum in Domino«.

<8.> Hec dicta qui satagit agnoscere, indiget sapientia, cui  
 10 in promptu adiacet cum spiritu timoris efficacia sacramenti penitencie, cuius partes (sc.: contritio, confessio et satisfactio) lapsum prevaricationis reconciliant, bellum voluntarium viribus anime inducunt<sup>56</sup>, violenter se vincere contendunt; si quis hiis indiget, eciam indiget et<sup>57</sup> penitencia, postulet a Deo sapientiam, qua cordialiter revolvat, quod penitencia tenebras effugat<sup>58</sup>, lucem veram enunciat, viam Domino preparat, ut ad Salvatorem perducatur. Omnis auctoritas clamat et omnis professio demonstrat, hec enim ovem perditam ostendit querenti, dragmam decimam obtulit auxilianti, hec filium prodigum amare penitentem ad<sup>59</sup> patrem reduxit benigne susipientem, hec ipsi David adulterii et homicidii reo veniam<sup>59</sup> inpetravit<sup>60</sup>, et iterum gravius delinquentem in populi enumeratione ad venie gratiam reconciliavit, hec Petrum lacrimantem, postquam Christum negaverat, ad principatum Apostolatus postea sublimavit, et lacrimanti Magdalene, de qua prius eiecerat septem demonia, omnium suorum criminum veniam in-  
 20 | I petravit. Arbitror eciam, quod Judas potuisset tanta miseratione Domini non excludi a venia, si penitentiam non apud pontifices, sed apud Christum egisset; de penitencia distinctione 1<sup>a</sup>. Quid mirum, hec latronem in cruce pendentem in ultimo mortis periculo transmisit paradiso, ut cunctis daretur exemplum nulli excludi a regno, quem gracia penitencie visitat in hoc mundo. — O mira Dei clemencia, o pietas immensa, o mira quam magna spirat potencia ex vera penitencia, o mira virtus penitencie, qua datur vita mortuis, cecis via lucis, et redditur spes venie  
 25 inimicis, caritas et gracia amicicie! Per hanc ignorans se, recognoscit<sup>61</sup> se, et querens se perditum, invenit reconciliatum, per hanc eripitur anima de potestate dyaboli, et redditur tota libera Salvatori, hec nullum<sup>62</sup> spernit<sup>63</sup> aut respuit quantumcunque reum, que peccatricem lacrimantem, cananeam supplicantem, deprehensam in adulterio, sedentem in theolonio, orantem publicanum, lacrimantem Petrum benigne respexit, misericorditerque suscepit, hec quippe liberat hominem a reatu culpe, a pena gehenne<sup>64</sup>,

<sup>55</sup>) Codd.: addidit L. — <sup>56</sup>) AK; indicunt Codd.; ex correct. L — <sup>57</sup>) Codd.: om. IL. — <sup>58</sup>) Codd.: fugat G. — <sup>59</sup>) Codd.: ad ∞ veniam om. G; in H manu h<sup>1</sup> in margine add — <sup>60</sup>) Codd.: adinpetravit GH — <sup>61</sup>) Codd.: in I re . . . a correctore add. — <sup>62</sup>) Codd.: neminem H — <sup>63</sup>) Codd.: sprevit G. — <sup>64</sup>) Codd.: iehenne H; yehenne F.

a servitute peccati, a potestate dyaboli, hec de filio ire facit filium gracie, de filio dyaboli filium regis altissimi, heredem regni Dei et coheredem Christi.

<9.> Ecce qui hec<sup>28</sup> dante Domino vult de sacramento penitencie inbibere, necesse est eum sapienciam habere, igitur postulet a Deo, nam sapienciam pietatis donum consequitur, cuius efficacia est sacramentum unccionis extreme, que <1<sup>o</sup>> ab infirmitate spirituali liberat, 2<sup>o</sup> sanitatem corporis sepe restaurat, 3<sup>o</sup> Deo infirmum reconciliat et <4<sup>o</sup>> in celestem ierosolimam viam preparat.

<10.> Ex quibus iam dictis breviter patet, quomodo per sapienciam dinoscitur, quod in omnibus ewangelice<sup>65</sup> legis sacramentis<sup>66</sup> || relucet nobis gracia Salvatoris, nec in vacuum, sed »ut<sup>66</sup> || I  
 »abnegantes omnem inpietatem<sup>67</sup> et secularia desideria, sobrie et 182 C  
 »pie et iuste vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem et 15  
 »adventum glorie magni Dei«: ad Titum 2<sup>o</sup>. Ad hoc enim data sunt nobis sacramenta septem, ut, cum simus vulnerati, per illorum applicacionem samaritani gracia restituamur pristinae sanitati. Nisi enim samaritanus (i. e. Salvator noster) sacramentorum medicamenta adhibuerit, nullus vulneratus sanitatem perpetuam obtinebit, 20  
 a quo samaritano, cum ipse sit principium et finis, Magister Petrus quartum Sentenciarum de sacramentis inchoans, dicit: Samaritanus enim vulnerato appropians<sup>68</sup>, curacioni eius sacramentorum alligamenta adhibuit: qui <a> contra peccati originalis et actualis vulnera, sacramentorum remedia Deus instituit. De 25  
 quibus est iste quartus liber et in quibus tota<sup>69</sup> eius materia terminatur, cuius intelligenciam si quis habere desiderat, si nondum habet sapienciam, vel ut maiorem habeat, 'postulet a Deo', quia dicebatur pro principio in hunc quartum librum: *Si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo*, ut sacramentorum virtutem intellectu percipiens, affectu ea retinens, effectu ipsa<sup>70</sup> recipiat<sup>71</sup>, 30  
 ut illa, que sunt vulnerate nature remedia ipsius virtute, qui ea instituit, sint nunc salutare remedium, semovens vulnera, ungens gracia et ultimo in vita statuens gloriosa. - In quibus 35  
 verbis primo tangitur vulnerata natura remedio indigens, cum dicitur: 'Si quis vestrum indiget' i. e. quia, vel ex quo, quilibet vestrum indiget graviter vulneratus; secundo tangitur | I  
 causa instrumentalis, remedia rite et salubriter anime inprimens, 182 D  
 cum dicitur 'Sapiencia'; tercio tangitur causa nostre sapiencie 40  
 et sacramentorum efficiens, cum additur 'postulet a Deo'. — Que quidem tria Magister Petrus in quarti libri prologo comprehendit: cum enim dicit 'vulnerato', tangit naturam remedio in-

<sup>65</sup>) Codd.: post legis K. — <sup>66</sup>) Codd.: om. K. — <sup>67</sup>) Codd.: in a v' inscr. pietatem AGL — <sup>68</sup>) Codd.: appropinquans L. — <sup>69</sup>) Codd.: post eius I. — <sup>70</sup>) Codd.: ea IL. — <sup>71</sup>) Codd.: recipiet L.

digentem, et cum dicit 'Samaritanus appropians', tangit causam sacramentorum efficientem, et cum 3<sup>o</sup> dicit 'Sacramentorum remedia Deus instituit', tangit Dei sapienciam, qua sacramenta pro obtinenda beatitudine sapientissime ordinavit. —

5 Igitur, ut vulneratus sanetur et remedium sacramenti debite applicetur, et ut samaritanus utiliter per sapienciam applicare dignetur, quarti libri scienciam<sup>72</sup>: *Si quis vestrum indiget sapiencia, postulet a Deo*, ut qui contra<sup>73</sup> originalis culpe vulnera dedit<sup>74</sup> baptismatis remedium, donet contra actualis culpe vulnera<sup>74</sup> per

10 sapienciam cognoscere, revereri et actualiter tenere sex residua sacramenta, Jesus Christus Dominus in seculorum secula benedictus.

---

<sup>72</sup>) Codd.: sciencia L. — <sup>73</sup>) Codd.: a corr. add. in marg. I. — <sup>74</sup>) Codd.: dedit ∞ vulnera in marg. L.



<II.>

<Questio.>

Quia<sup>75</sup> in hoc 4<sup>o</sup> Sentenciarum, in quem facio principium, agitur de sacramentis ecclesie, que reducunt hominem de statu lapsus in statum innocencie, igitur circa<sup>76</sup> primam distincionem istam moneo questionem:

**Utrum nove legis sacramenta, que sunt contra vulnera peccati a Deo instituta remedia, sint divine gracie collativa.** 5

<1.> Et arguitur primo contra suppositum questionis sic: Peccatum est fieri per plura, quod eque bene, eque facilliter et breviter potest fieri per pauciora. Sed reductio hominis de<sup>77</sup> statu lapsus in statum innocencie eque bene potuit et potest fieri per potenciam Dei sine sacramentis ¶ nove legis, sicut cum sacramentis. Igitur peccatum est fieri reductioem hominis de statu lapsus in statum innocencie per nove legis sacramenta. Consequencia videtur tenere ex vi sufficiencie; maior est communis animi<sup>78</sup> concepcio et sic de se manifesta, sed minor probatur, nam Deus sufficientissime de sua infinita potencia sine sacramentis potest hominem reducere de statu lapsus in statum innocencie, cum potuit eum creare ex nichilo sine sacramentis. Sed maior est distancia non esse ad esse hominis, quam status hominis lapsus ad statum hominis innocencie, ergo si primum potest Deus, poterit et secundum. 2<sup>o</sup> contra quesitum questionis arguitur sic: Divina<sup>79</sup> gracia non potest esse effectus sacramentorum nove legis; ergo questio falsa. Antecedens arguitur<sup>80</sup>: solum<sup>81</sup> Deus efficit gratiam, solius ergo Dei effectus est gracia et per consequens non sacramentorum; consequencie note sunt de se, et antecedens 10 15 20 25

<sup>75</sup>) Codd. Quia ∞ 4<sup>o</sup> om. L. — <sup>76</sup>) Codd.: contra I. — <sup>77</sup>) Codd.: a I. — <sup>78</sup>) I; anime Codd. — <sup>79</sup>) Codd.: inepte abb. A. — <sup>80</sup>) Codd.: probatur GHK. — <sup>81</sup>) Codd.: solus F.

ex eo patet, quod gracia gratum faciens excellit creature cuiuslibet facultatem. In oppositum arguitur sic<sub>82</sub>: Sacramenta nove legis delent peccata, ergo eciam sunt graciae collativa; tenet consequentia, quia eiusdem est potencie peccatum delere et gratiam conferre, et antecedens patet de baptismo et de penitencia, sicut patet sepius in scriptura.

<2.> Circa istam questionem quattuor per ordinem sunt distingwenda<sub>83</sub>: 1° *quid sit sacramentum*, 2° *a quo et quot sunt instituta sacramenta*, 3° *quare instituta sunt sacramenta*, 4° *quis est effectus sacramentorum*.

<3.> *Quantum ergo ad primum*: Sciendum, quod secundum Augustinum libro 10° De civitate Dei ca° 11° sacramentum est invisibilis graciae visibilis forma. Hec diffinicio generalis est et convenit tam sacramentis nove legis, quam veteris, quia tam illa, quam ista sunt ex similitudine representativa et ex institutione signancia. Secundum hoc autem, quod illa diffinico convenit sacramentis nove legis, sic supplenda est: ita, ut similitudinem eius gerat et causa existat, quia sacramenta non solum ex similitudine representant vel ex institutione signant, sed eciam ex virtute divina signant et gratiam conferunt, per quam curatur anima ab infirmitatibus viciorum. Et hoc est, quod Augustinus in alia diffinico insinuat dicens: »Sacramentorum est illud, de quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus salutem secrecius operatur«. Est eciam 3<sup>a</sup> diffinico Hugonis de Sancto Victore: »Sacramentum est materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione signans, ex similitudine<sub>84</sub> representans, ex sanctificatione autem invisibilem<sub>85</sub> conferens<sub>85</sub> gratiam.« Unde tria tanguntur hic, que sunt de ratione sacramenti stricte et proprie accepti. Primum est naturalis similitudo, ex qua habet aptitudinem signandi; 2<sup>m</sup> est actualis institutio, ex qua habet ordinationem determinatam respectu illius signati; 3<sup>m</sup> est significacio spiritualis, ex qua habet virtutem efficiendi illud signatum. Item dicit Augustinus 10° De civitate Dei ca° 11°, quod sacramentum est sacre rei signum. »Istud<sub>86</sub> autem dictum non est diffinico, sed potius ethimologia vocabuli<sub>87</sub> sacramenti<sub>88</sub>, dicit s. Thomas De veritate theologie libro 6° ca° 1°.

Et iterum notandum est, quod sacramentum accipitur tripliciter: Uno modo pro re consecrationem causante<sub>89</sub>, non tamen instituta divinitus<sub>90</sub> ad hoc signandum, ut passio Christi; et hoc modo non dicitur proprie sacramentum, nisi extenso nomine || sacramenti ad sacrum secretum. 2° modo signante tantummodo pre-

<sup>82</sup>) Codd.: om. K. — <sup>83</sup>) Codd.: dicenda F. — <sup>84</sup>) Codd.: a correct. add. I. — <sup>85</sup>) In I a v' inscr.: post gratiam Codd. — <sup>86</sup>) Codd.: illud L. — <sup>87</sup>) Codd.: vocabulum L. — <sup>88</sup>) Codd.: sacramentum ut H. — <sup>89</sup>) Codd.: male causantem F. — <sup>90</sup>) Codd.: post ad hoc K.

dictam sanctificationem ex divina institutione, non tamen causante active principaliter, sicut signum sanitatis dicitur sanum; et hoc modo sacramenta veteris legis dicuntur sacramenta, et quomodo agnus pascalis, de quo Exod. 12<sup>o</sup>, est sacramentum eucaristie; similiter manna et serpens suspensus in palo, et petra, ex qua fluxerunt<sup>91</sup> aque<sup>91</sup>, et sic de aliis, sunt sacramenta. 3<sup>o</sup> modo accipitur sacramentum pro re ex divina institutione signante per rerum similitudines, secundum quod homini competit, et in virtute Dei sanctificationem causante. Sic sacramenta nove legis dicuntur sacramenta, que et consecrant, et ex institutione significant sanctitatem et primas sanctificationis causas, sicut baptismus sanctificat et purificationem designat, et mortis Christi signum est. Et sic accipiendo rem sacram active sc. pro re sub ratione, qua sacrans est, et signum sacrum, prout specialiter institutum est ad rem sacram signandam, convertitur cum sacramento proprie dicto. Nec potuit sacramentis veteris legis et nove legis alia communis diffinicio assignari.

<Corellarium.> Ex istis sequitur 1<sup>o</sup> corellarie: cum sacramenta significant ex divina institutione, quod sint signa voluntaria nec tamen sunt mutabilia, quia significacionis eorum impo- sicio dependet a voluntate superioris nature, que est omnino immutabilis.

<Corellarium.> 2<sup>o</sup> patet corellarie, quod alia ratione dicuntur sacramenta veteris legis esse sacramenta, quia signancia et non active sacranca, et alia ratione sacramenta nove legis dicuntur sacramenta, quia ex institutione significancia et active sacranca. Et tantum sit dictum | quoad primum.

| I  
183 D

<4.> *Secundo distinguendum, a quo et quot sunt instituta sacramenta.* Et patet primo, quod a Deo, dicente Magistro in prologo huius quarti libri: »Sacramentorum remedia Deus instituit«; et quoad secundum patet, quod septem sunt sacramenta, prout patet ex processu Magistri per totum quartum librum. Sacramenta ergo legis gratie pius samaritanus Christus instituit, tamquam novus legislator<sup>92</sup> nove legis, in qua vocavit ad premia, dedit precepta et instituit sacramenta. Christus enim verbum eternum Patris est summe virtutis, cum sit etiam summe veritatis et summe bonitatis. Ratione bonitatis promisit beatificancia, ratione virtutis dedit precepta dirigencia, ratione veritatis instituit sacramenta adiuvantia, ut sic per sacramenta pararetur virtus ad adimplendum preceptum et per precepta perveniatur ad premia. — Instituit autem Christus sacramenta in verbis et elementis, unde ait Augustinus: »Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum«. Est ibi elementum pro materia et prolacio verborum

<sup>91</sup>) Codd.: fluxit aqua R. — <sup>92</sup>) Codd.: tantum lator F.

pro forma. Instituit autem Deus sacramenta diversitate quadam (sc. ante adventum suum), ut matrimonium et penitentiam; et hec duo confirmavit et consecravit in lege ewangelica, unde penitentiam predicavit: Matth. 4<sup>o</sup> et nupciis interfuit Joh. 2<sup>o</sup><sub>93</sub>. — Baptismum vero instituit ipsum suscipiendo Matth 3<sup>o</sup> et formam eius dando Matth. 28<sup>o</sup>: »Baptisantes eos in nomine »Patris et Filii, et Spiritus Sancti«. — Confirmacionem manus parvulis inponendo Marc.<sub>94</sub> 10<sup>o</sup>: »Offerebant illi parvulos, ut tangeret illos et complexans eos, et inponens manus super illos, benedicebat eos«. — Unccionem ||| vero instituit discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo<sub>95</sub>. Unde Marc. 6<sup>o</sup> dicitur: »Dabat<sub>96</sub> illis potestatem spirituum immundorum« infra »et exeuntes predicabant, ut penitentiam agerent, et demonia »multa eiciebant, et ungebant oleo<sub>95</sub> multos egros et<sub>97</sub> sanabantur«<sub>98</sub>. — Ordinem instituit, cum discipulis ligandi atque solvendi potestatem dedit, dicens Matth. 18<sup>o</sup><sub>99</sub>: »Amen, amen<sub>100</sub> dico vobis, »quecunque aligaveritis<sub>101</sub> super terram, erunt ligata et in celo, »et<sub>102</sub> quecunque<sub>102</sub> solveritis super<sub>103</sub> terram<sub>103</sub>, erunt soluta et »in celo<sub>102</sub>«. Sacramentum eucaristie tradidit Luce 22<sup>o</sup> dando eis sacramentum per<sub>104</sub> se<sub>104</sub> consecratum<sub>104</sub> et dando eis potestatem consecrandi. Unde quantum<sub>105</sub> ad primum: »Accepto »pane gracias e<sub>106</sub>git, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus »meum, quod pro vobis tradetur«; et quantum ad 2<sup>m</sup> (sc. ad consecrandi potestatem) subdit<sub>108</sub> dicens: »Hoc facite in meam commemorationem: Similiter et calicem« etc. Ex hiis patet, a quo instituta sunt sacramenta, quia a Christo, et quot, quia septem, que habentur in hoc versu<sub>106</sub>: Abluo<sup>1</sup>, firmo<sup>2</sup>, cibo<sup>3</sup>, punit<sup>4</sup>, uxor<sup>5</sup>, ordinat<sup>6</sup>, ungit<sup>7</sup><sub>107</sub>. Per abluo intelligitur baptismus, qui est sacramentum intrancium miliciam Jesu Christi (Distinccione 32<sup>a</sup>. 'Preter.') Per firmo notatur confirmacio, que est pugnanciam (de Consecracione distinccione 5<sup>a</sup> 'Spiritus Sanctus'.) — Per cibo intelligitur sacramentum eucaristie, quod est proficiencium sive profitencium, unde et viaticum dicitur (26<sup>a</sup> questione 6<sup>a</sup> 'Qui recedunt') Per punit intelligitur penitencia, que est deficiencium et resurgencium | (26<sup>a</sup> quest. 6<sup>a</sup> 'Hiis, qui de penitencia' distinccione 1<sup>a</sup> ca<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>). — Per uxor notatur sacramentum matrimonii, quod est adiutorium fragilium. — Per ordinat<sub>109</sub> notatur sacramentum ordinis, quod est docencium pugnare, et exorancium. — Per ungit notatur sacramentum extreme unccionis, quod est ex-

<sup>93</sup>) Codd.: male 4<sup>o</sup> F. — <sup>94</sup>) Cod. l.: Matth. AH. — <sup>95</sup>) Codd.: oleo sancto L. — <sup>96</sup>) Codd.: dabit male L. — <sup>97</sup>) Codd.: om. L. — <sup>98</sup>) Codd.: sanabant L. — <sup>99</sup>) Codd.: male 8<sup>o</sup> I. — <sup>100</sup>) Codd.: om. GFKL. — <sup>101</sup>) Codd.: ligaveritis K. — <sup>102</sup>) Codd.: et quecunque ~ celo om. L. — <sup>103</sup>) Codd.: om. I. — <sup>104</sup>) Codd.: in margine F. — <sup>105</sup>) Codd.: pessime quartum FK. — <sup>106</sup>) Codd.: in K add. versus. — <sup>107</sup>) H: 1 ∞ 7 cm. Codd. — <sup>108</sup>) Codd.: om. A. — <sup>109</sup>) Codd.: ordinavit K.

euncium (26<sup>a</sup> quest. 6<sup>a</sup> 'Ab infirmis'). Ex hiis patet sacramentorum numerus explicatus.

<5.> *Iam 3<sup>o</sup> inquirendum est*<sup>110</sup>, *quare instituta sunt sacramenta.* Et Magister dicit in prologo, quod<sup>111</sup> ad remediandum originalis et actualis culpe vulnera.

Sciendum autem est, quod sacramenta sunt ex causa multiplici instituta: primo propter humiliacionem, qua homo querit salutem in inferioribus se; 2<sup>o</sup> propter erudicionem, qua homo per visibilia ad cognoscendum invisibilia rapitur; 3<sup>o</sup> propter excitationem, qua homo nocivam<sup>112</sup> declinat occupationem et ocium; 4<sup>o</sup> propter congruitatem medici ad medicinam, quia cum medicus sit Deus et homo congruenter eius medicina, debet aliquid continere divinum (sc. invisibilem gratiam) et aliquid humanum (sc. visibilem gratiæ formam); 5<sup>o</sup> est congruitas ex parte infirmi, quia cum infirmus sit homo, constans ex corpore et spiritu, ipse autem spiritus in corpore non bene capit spiritualia, nisi in corporalibus, congruum dare fuit medicamenta spiritualia in rebus corporalibus, sicut pluvia in nebula; 6<sup>o</sup> propter meritum augendum; multum enim valet ad meritum, quando creditur Deo in hiis, ubi humana ratio non prebet experimentum. — Patet ergo ex hiis, que est || sacramentorum<sup>114</sup> causa efficiens, quia institutio divina, que formalis, quia gratiæ sanctificatio, que finalis, quia humane infirmitatis curatio. Et istam causam innuit Magister in prologo quarti dicens: »Quia contra originalis et actualis culpe<sup>115</sup> vulnera sacramentorum remedia Deus instituit.« Unde sicut sunt septem defectus anime, sic sunt septem sacramentorum remedia instituta. Sunt autem tres defectus culpabiles, sc. peccatum originale, contra quod est baptismus a Domino institutus, actuale mortale, contra quod penitencia, et actualis veniale, contra quod est appropriate extrema unctio. Alii autem 4<sup>or</sup> defectus sunt penales et pene precedentium defectuum, ut est inpotencia respectu agendorum, contra quam<sup>116</sup> confirmatio, ignorancia credendorum, contra quam ordo, quo ordinatus debet docere Matth. 28<sup>o</sup>: »Docentes eos omnia, que precepi vobis«; concupiscencia nocivorum quantum ad carnalia, contra quam militat eucaristia. Ex hiis quoad 3<sup>m</sup> evidet, quare instituta sunt sacramenta.

<6.> *Quarto et ultimo videndum est, quis est effectus sacramentorum.* Et dicitur, quod primus effectus est, quia<sup>117</sup> a peccato mundant, ut baptismus; 2<sup>o</sup> in bono confirmant, ut confirmatio; 3<sup>o</sup> corpori Christi mystico incorporant, ut eucaristia; 4<sup>o</sup> iustificat, ut penitencia; 5<sup>o</sup> ad futuram vitam preparant, ut extrema unctio; 6<sup>o</sup> erudiendi illuminant, ut ordo; 7<sup>o</sup> a malo preservant,

<sup>110</sup>) Codd.: om. A. — <sup>111</sup>) Codd.: quasi A. — <sup>112</sup>) Codd.: ex corr. I. —

<sup>114</sup>) Codd.: sacramenti HG. — <sup>115</sup>) Codd.: om. FIK. — <sup>116</sup>) Codd.: add. est A. —

<sup>117</sup>) Codd.: quod GH.

ut matrimonium. Item hec septem sacramenta ad septem virtutes  
 | I habendas,<sup>118</sup> hominem preparant et disponunt. Nam | baptismus  
 184 D est sacramentum fidei, confirmacio spei, eucaristia caritatis, peni-  
 5 tencia iusticie, extrema unccio perseverancie, que est fortitudinis  
 6 complementum, ordo prudencie, matrimonium temperancie; sic  
 singulum sacramentum habet appropriatum effectum et tamen quod-  
 libet est ad peccati remedium, ut secludatur, et ad profectum gracie,  
 ut servetur. Item pro quesito principali ego noto 2<sup>m</sup> Thomam  
 in scripto principali,<sup>119</sup> quest. 1<sup>a</sup>, quod sicut ornamentum in-  
 10 portat, quo aliquid active ornatur, sic sacramentum dicitur, quo  
 aliquid active sacratur, quod contingit dupliciter, vel in signo tantum,  
 vel in signo et re simul. Primo modo sacrificia veteris legis dice-  
 bantur sacramenta, quia de se ex opere operato solum sanctitatem  
 ostendebant, sed realiter non exhibebant. sicut Apos to l u s arguit,  
 15 quod ex operibus legis nullus iustificabatur,<sup>120</sup>; 2<sup>o</sup> modo sacra-  
 mentum circumcisionis veteris legis et sacramenta nove legis osten-  
 dunt et exhibent sanctitatem. Sed adhuc exhibitio fit dupliciter:  
 vel formaliter, vel effective; primum pertinet ad dona et virtutes  
 et non ad sacramenta ecclesie, secundum adhuc dupliciter, vel  
 20 principaliter, vel instrumentaliter: primum soli Deo est proprium,  
 sc. sanctificare principaliter, sicut et gratiam principaliter con-  
 ferre vel creare, secundum,<sup>121</sup> vero iterum contingit dupliciter, vel  
 inmediate vel,<sup>122</sup> mediate, quia aliquod est,<sup>121</sup> instrumentum opera-  
 tionis immediatum et continuum agenti principali, sicut manus  
 25 agentis, aliud vero mediatum, sicut baculus in manu, quo mediante  
 || I fit accio. Et 1<sup>o</sup> modo passio Christi meritorie causat gratiam  
 185 A dispositive in homine et perfective, quia meritum passionis Christi  
 fuit actus inmediate instrumentaliter coniunctus Deo, qui Deus, se-  
 cundum quod Deus, est principale agens gracie; et 2<sup>o</sup> modo sacra-  
 30 menta ecclesie causant gratiam sc. dispositive tantum, quia in  
 quantum submittunt,<sup>124</sup> hominem,<sup>125</sup> meritis Christi ad conformitatem  
 mediante Christi passione, disponunt hominem ad gratiam. Ex  
 quo patet sacramenta ecclesie esse instrumenta passionis Christi  
 et gracie.

35 Istis notatis sit conclusio ista:

### <Conclusio prima.>

<7.> Conclusio 1<sup>a</sup>,<sup>126</sup> *Nove legis sacramenta sunt contra vulnera peccati a Deo instituta remedia.* Probatum. Christus Jesus instituit sacramenta et ipse dat gratiam; quam efficaciter signat

<sup>118</sup>) Codd.: ante virtutes AGH. — <sup>119</sup>) A: om. Codd. — <sup>120</sup>) Codd.: iustificatur I. — <sup>121</sup>) Codd.: secundum ~ est om. A. — <sup>122</sup>) Codd.: om I. — <sup>124</sup>) Codd.: supponunt A. — <sup>125</sup>) Codd.: aberrans oculis ad alterum hominem A. — <sup>126</sup>) A in margine.

quodlibet sacramentum ab ipso, ut fundamento, habens efficaciam secundum eius benedicta merita, ut peccatum deleatur, minoretur, vel secludatur: ergo conclusio vera. Consequencia nota est de se et antecedens patet ex declaratis questionis in<sup>127</sup> 2<sup>o</sup> principali. Patet etiam ista conclusio per Magistrum in prologo quarti libri.

Corellarie <1<sup>o</sup>> sequitur, quod omne sacramentum est contra peccatum.

Corellarie 2<sup>o</sup> sequitur, quod quodlibet sacramentum est hominis sanativum.

### <Conclusio secunda.>

Conclusio 2<sup>a</sup>. *Nove legis sacramenta sunt divine gratie collativa.* Probatur. Baptismus, penitencia delent peccata, quibus sublatis datur gratia: ergo conclusio vera. Consequencia nota est et antecedens patet primo de penitencia Ezechiel. 18<sup>o</sup>, ubi dicit Dominus: »Si impius egerit penitenciam ab omnibus peccatis, que operatus est, vita vivet, et non morietur«; et Matth. 4<sup>o</sup> dicit: »Penitenciam agite, appropinquabit regnum celorum« De baptismo patet Marc. ultimo, ubi dicit Dominus: »Qui crediderit, et baptisatus fuerit, salvus erit.« Et pro utroque istorum dixit Petrus Actuum 2<sup>o</sup><sup>129</sup>: »Penitenciam agite, et baptisetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.« — Ecce duo promisit eis ex duobus sacramentis, sc. remissionem peccatorum et donum Spiritus Sancti, quod est gratia, ergo conclusio vera.

Ex ista conclusione sequitur:

<Corellarium.> <1<sup>o</sup>> quod virtus sacramentorum ecclesie est divine gratie causativa.

<Corellarium.> 2<sup>o</sup> sequitur, quod nove legis sacramenta sunt cuilibet vulnerato ad gratiam sumendam data remedia.

<Corellarium.> 3<sup>o</sup> sequitur, quod questio est vera, tam ad suppositum, quam ad quesitum.

Tunc ad rationem contra suppositum questionis negatur minor, nam licet reductio hominis de statu lapsus in statum innocencie eque bene potuit fieri per potentiam Dei<sup>130</sup> absolutam, quantum est ex parte Dei, sine sacramentis, non tamen potuit fieri eque bene et congruenter de potencia ordinata Dei, et quantum<sup>131</sup> est<sup>131</sup> ex parte hominis, cum Deus sic ordinaverit, ut per passionem Christi et per sacramenta salus hominis eveniret<sup>132</sup>; unde quantum ad passionem suam dicit Christus<sup>133</sup> Johannis 3<sup>o</sup>: »Sicut Moyses<sup>134</sup>

<sup>127</sup>) *Codd.*: igitur I. — <sup>129</sup>) *Vulg.*: 3<sup>o</sup> male *Codd.* — <sup>130</sup>) *Codd.*: om. I. — <sup>131</sup>) *Codd.*: om. I. — <sup>132</sup>) *Codd.*: evenerit I. — <sup>133</sup>) *Codd.*: Jesus Christus H. — <sup>134</sup>) *Codd.*: Moyzies A.

»exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis«,  
 et subdit quare, quia »ut omnis, qui credit in ipsum<sup>135</sup>, non pereat,  
 »sed habeat vitam eternam.« Et quantum ad baptismum dicit  
 ibidem: »Amen, amen, dico tibi<sup>136</sup>: nisi quis renatus fuerit ex  
 5 »aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.«  
 Et quoad penitentiam dicit discipulis suis Luce 13°: »Nisi peni-  
 »tenciam egeritis, omnes similiter peribitis<sup>137</sup>«, sc. sicut »illi, quorum  
 »Pilatus miscuit sanguinem cum<sup>138</sup> sacrificiis.« Ad 2<sup>m</sup> negatur as-  
 sumptum ad probacionem, cum arguitur: Solum Deus efficit gra-  
 10 ciam; si intelligitur sic, i. e. principaliter, effective causat gratiam,  
 conceditur illa et iuxta illum intellectum gracia gratum faciens ex-  
 cellit creature cuiuslibet facultatem. Sed ex illo non sequitur,  
 quod non sint<sup>139</sup> sacramenta gracia ministerialiter sive instrumen-  
 taliter effectiva et collativa, cum vere dicat auctoritas, quod bap-  
 tismus et penitencia sunt hominis iustificativa || et finaliter salvativa.  
 || I  
 135 C Et tantum de questione.

---

<sup>135</sup>) *Vulg. et AFIKL*: Christum *Codd.* — <sup>136</sup>) *Codd.*: vobis, tibi *K.*, vobis *AH.*  
<sup>137</sup>) *Codd.*: peribebitis *K.* — <sup>138</sup>) *Codd.*: male iter. *I.* — <sup>139</sup>) *Codd.*: sunt *GH.*



### <III.>

<1.> Iam restat solvere argumenta contra posicionem<sup>140</sup> meam<sup>140</sup> facta. Et quia posui circa principium tercii, quod Filius Dei est incarnatus pro redempcione generis humani, contra illam conclusionem arguit rev. magister Matheus, sacre theologie bacc.,  
4<sup>iter</sup>, et 1<sup>o</sup> sic: »Substantia spiritualis non potest uniri nature corporali, nisi duobus modis: sc. vel ut motor, vel<sup>141</sup> ut<sup>141</sup> »forma«. Concedo. Et cum assumit: »sed primus modus unionis, sc. quod Filius Dei unitus esset nature humane per modum motoris<sup>141</sup>, non sufficit ad propositum«, nego illam. Et quando infert pro inconvenienti, quia sequitur, »quod tunc angelus movens ali-  
»quam speram, assumpsisset illam speram in unitatem suppositi«, hic nego consequenciam. Unde non consideravit magister rev., quod aliquis est motor unitus (suppositaliter moto, aliquis non; quelibet enim anima unita corpori est motiva corporis, et dum corpus movetur motu progressivo libere, movetur ab ipsa anima, ut motore immediate coniuncto, sicut hoc docuit Philosophus in Phisicorum et<sup>142</sup> in<sup>142</sup> De anima. Et patet, quod magister meus in primo argumento realiter<sup>143</sup> est deceptus. — 2<sup>o</sup> contra eandem conclusionem arguit<sup>144</sup> sic<sup>144</sup>: »Impossibile est aliqua de<sup>145</sup> »novo<sup>145</sup> realiter uniri, nisi in ambobus, vel saltim in altero fiat »realis mutacio«; nego illam, et magister meus hic oblitus est<sup>146</sup> dicti Philosophi, quo dicit in Post predicamentis, quod sunt quedam crescencia, que non alterantur, ut quadrangulus composito gnomone crevit quidem, alteratum autem nichil est factum, sic et in aliis huiusmodi. Ecce quam plane Philosophus ponit, quod quadrangulus unitur cum gnomone, et tamen nullum illorum alteratur. Sed parcendum<sup>147</sup> est magistro, quia cum sit mona-

<sup>140</sup>) Codd.: posicione facta L. — <sup>141</sup>) I a correctore. — <sup>142</sup>) Codd.: secundum G. — <sup>143</sup>) Codd.: post est K. — <sup>144</sup>) Codd.: male iterat, sed. a rubr. del. I. — <sup>145</sup>) Codd.: post realiter GH. — <sup>146</sup>) Codd.: om. F. — <sup>147</sup>) Codd.: in I cor. rubricator ex parcedendum.

chus<sup>148</sup>, debet esse diligencior de psalterio, quam de<sup>149</sup> Aristoteli Postpredicamento. Sed [datur<sup>150</sup> manifestius exemplum, quod aliquis alteri unitur sine mutacione, nam forma substancialis terre in primo instanti creacionis terre unita fuit materie terre sine mutacione facta in altero, cum ante primum instans creacionis sue<sup>150</sup> nullum illorum est mutatum; et patet, quod magister in assumpto totaliter est frustratus. — 3<sup>o</sup> contra eandem conclusionem arguit sic: »Duo contraria non possunt uniri in eodem, ergo nec »Deus et<sup>151</sup> creatura possunt simul uniri personaliter<sup>152</sup>«. Hic primo nego consequenciam, quia antecedens verum est, cum sit propositio indefinita<sup>153</sup>, de duobus contrariis verificata, et consequens est hereticum, ergo . . . etc.<sup>154</sup> Et quoniam magister posuit antecedens indefinitum<sup>153</sup>, forte voluit intelligere universaliter sic<sup>155</sup>: Nulla contraria possunt simul uniri in eodem, et statim negatur assumptum, nam idem homo est, vel potest esse, simul iustus et iniustus. Iustus secundum predestinacionis iusticiam, et iniustus<sup>156</sup> secundum presentem iniusticiam. Similiter idem homo potest esse malus simul et bonus; bonus, quia in presenti gracia, et malus, quia in prescencia. Unde et proprie privativa possunt simul eidem inesse, cum simul idem homo potest esse vivus et mortuus, vivus in anima, mortuus in corpore, vel e contra, deficit ergo magister meus iterum in logica non advertendo, quod nulla duo contraria simul et secundum idem possunt inesse eidem. Unde si taliter assumeret, tunc contradictoria<sup>157</sup> simul de eodem predicarentur, si antecedens magister probaret. — *Ultimo* contra conclusionem illam arguit<sup>158</sup> sic: »Si Filius Dei esset incarnatus, »sequitur, quod eciam Pater et Spiritus Sanctus esset incarnatus«. Hic nego consequenciam; ad probacionem eius arguit<sup>159</sup> sic: »Quia secundum *Damascenum* libro 1<sup>o</sup> ca<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>: Pater »et Spiritus Sanctus secundum omnia idem sunt, preter<sup>160</sup> in-  
 ¶ I generacionem, generacionem<sup>161</sup> et processionem.« ¶ Primo nego  
 186 A istud dictum, quia non secundum omnia Pater et Filius et Spiritus Sanctus idem sunt, quia non secundum accidentia animalia vel quecunque creata idem sunt, et<sup>162</sup> ergo magister meus vel alleget pertinenter *Damascenum*, vel caute eum intelligat. Et argumentum magistri de operibus Trinitatis ulterius non procedit.

<2.> Iam restaret<sup>163</sup> rev. fratris Johannis de Monte, sacre theologie bacc. formati argumenta solvere, similiter ma-

148) In A in margine add. Monachus Magister Matthys. — 149) Codd.: om. G. — 150) Codd.: om. I. — 151) Codd.: nec I. — 152) Codd.: ante add. et K. 153) Codd.: male infinita, infinitum AD. — 154) H; om. Codd. — 155) Codd.: om. A. — 156) Codd.: male iustus A. — 157) Codd.: contradicta AH. — 158) Codd.: post sic G; arguitur F. — 159) Codd.: arguitur I. — 160) Codd.: male propter D. — 161) Codd.: et generacione H. — 162) Codd.: om. H. — 163) Codd.: restat A.

gistri Johannis Ffrankenffteyn<sup>164</sup>, sacre theologie bacc.; sed quia in suis principiis<sup>165</sup> non argueret contra me, cum in infirmitate<sup>166</sup> decubui, ergo, quoad eos, in<sup>167</sup> facto huiusmodi sum in pace. Restat ergo contra dicta<sup>168</sup> magistri mei rev. magistri Mathei<sup>169</sup> arguere. Ponit magister reverendus in determinatione sue questionis circa principium secundi<sup>170</sup> Sententiarum conclusionem primam istam: Aliquid est primum principium. Contra: Nichil est principium primum. Probat. Quia, si est aliquid primum principium<sup>171</sup>, vel ergo eternaliter aliquid est<sup>172</sup> primum principium, vel aliquid est primum principium solum<sup>173</sup> temporaliter. Si primum, ergo eternaliter aliquid<sup>174</sup> est principiatum<sup>175</sup>; consequentia tenet ex natura correlativorum, quorum si unum<sup>176</sup> est, et alterum est<sup>177</sup>, secundum regulam Philosophi ex predicamento relacionis; sed consequens est falsum, sc. aliquid est eternaliter principiatum<sup>178</sup>, quia tunc illud esset et non esset illud primum principium; nec magister potest per hec subterfugere, quod diceret, Filium Dei vel Spiritum Sanctum esse principiatum<sup>178</sup> a Deo Patre, quia iterum sequeretur inconveniens. Si vero dicitur 2<sup>m</sup>, sc. quod aliquid est primum principium solum temporaliter, tunc sequitur, quod incepit esse primum principium; consequens falsum, ergo et conclusio et per consequens eius corellaria, que super illa conclusione sunt fundata. Ponit secundam istam: Impossibile est esse | plura prima principia. Contra: Deum esse et omne ens esse sunt principia, et utrumque illorum est primum | I  
186 B  
25  
30  
35  
principium. De primo concedit magister in sua positione, sed pro 2<sup>o</sup> arguitur sic: 'Omne ens esse' sequitur ad 'deum esse', secundum essendi consequentiam, ergo videtur, quod utrumque illorum est eternaliter; consequentia nota est, sed antecedens probatur, nam sequitur: Si Deum esse est, omne ens esse est, et si omne ens esse est, Deum esse est. 2<sup>a</sup> conditionalis manifesta<sup>179</sup> est<sup>180</sup>. Sed si negatur<sup>181</sup> prima, detur oppositum consequentis contradictorium, quod stet cum antecedente eiusdem consequentie, quo dato arguitur sic: Aliquod ens esse non est, igitur aliquod ens non est; consequentia tenet a convertibili ad convertibile sine impedimento, sed consequens non stat, nec potest stare, cum isto antecedente in veritate 'Deum esse est', eo quod nunquam<sup>182</sup> verum potest esse, quod Deus est et aliquod ens<sup>183</sup> non est. Ergo conditionalis prima vera<sup>183</sup>, et totum argumentum<sup>184</sup> bonum; igitur con-

<sup>164</sup>) IK; Frankenffteyn H, Frankenfteyn A; Frankentyn D; Ffrangenssteyii F; Ffrankenstein G. — <sup>165</sup>) Codd.: principalibus F. — <sup>166</sup>) Codd.: firmitate IK; infirmitatem G. — <sup>167</sup>) Codd.: om. A. — <sup>168</sup>) Codd.: om. A. — <sup>169</sup>) Codd.: Mathie A. — <sup>170</sup>) Codd.: tercii F. — <sup>171</sup>) Codd.: ante primum A. — <sup>172</sup>) Codd.: om. A. — <sup>173</sup>) Codd.: om. AHG. — <sup>174</sup>) Codd.: post est DH. — <sup>175</sup>) Codd.: principiatum GF. — <sup>176</sup>) Codd.: primum A. — <sup>177</sup>) Codd.: om. AIK. — <sup>178</sup>) Codd.: principiatum G. — <sup>179</sup>) Codd.: post est H. — <sup>180</sup>) Codd.: om. G. — <sup>181</sup>) Codd.: negetur GH. — <sup>182</sup>) Codd.: om. K. — <sup>183</sup>) Codd.: ens ~ vera om. G. — <sup>184</sup>) Codd.: add fuit GH.

clusio falsa et eius corellaria, et ex simili ratione vel eadem  
3<sup>a</sup> conclusio est falsa, que dicit: Tantum unum est principium  
essendi.

<3.> Ponit in 2<sup>o</sup> articulo conclusionem primam istam: »Non  
5 » cuiuslibet effectus primum principium est causa sufficientissima.«  
Contra: Istam conclusionem destruendam suppono cum omnium  
philosophorum et sanctorum sententia, quod causa sufficientissima  
est causa non includens aliquem defectum in sua accione et qua  
non potest esse nobilior, melior et sic nec sufficiencior causa;  
10 quo supposito arguitur sic: Primum principium est factor suf-  
ficientissimus cuiuslibet effectus, igitur primum principium est causa  
sufficientissima cuiuslibet effectus; consequencia tenet a<sub>185</sub> con-  
vertibili<sub>186</sub> ad suum convertibile sine inpedimento, et antecedens  
patet per expositionem superlativi huius, quod est sufficientissimus,  
|| I sic: Primum principium est factor sufficiens cuius-  
186 C libet effectus et primo principio non est, nec potest esse factor  
sufficiencior cuiuslibet effectus, ergo prima pars nota est; 2<sup>a</sup> si  
negatur<sub>187</sub>, detur<sub>188</sub> oppositum, quo dato sequitur, quod Deus non  
erit factor nobilissimus, optimus et sufficientissimus, sed hoc est  
20 falsum, ergo et conclusio cum suis corellariis; nec potest magister  
subterfugere probando illam: »Primum principium est factor suf-  
ficientissimus resolubiliter ratione primi termini«, quia eque vera<sub>189</sub>  
erit, et facta resolutione devenietur ad expositionem superlativi,  
ratione cuius iam est exposita.

Ponit in 2<sup>o</sup> articulo 2<sup>am</sup> conclusionem istam: »Cuiuslibet ef-  
25 »fectus, non quanti seu non habentis partes, primum principium  
»potest esse causa sufficiens, capiendo causam sufficientem pro  
»causa, que producit aliquem effectum nulla alia causa concurrente.«  
Contra: Intelligenciam intelligere active, vel Johannem legere, potest  
30 esse aliquis effectus, non habens partes vel non existens quantus,  
et illum effectum non potest Deus producere sine intelligencia vel  
sine Johanne concurrente, cum non potest esse intelligenciam in-  
telligere, nisi sit intelligencia. Similiter non potest esse Johannem  
legere, nisi sit Johannes, ergo conclusio cum corellariis falsa.

Tunc ponit in 3<sup>o</sup> articulo conclusionem unicam istam: »Primum  
35 »principium est omnium aliorum a se causa productiva.« Contra:  
Contra<sub>190</sub> istorum<sub>191</sub> demonstrando, (sic!) istum mundum esse et<sub>192</sub>  
Deum esse<sub>192</sub>, primum principium<sub>193</sub> non est causa, et ista<sub>194</sub> sunt alia  
quam primum principium, ergo conclusio falsa; maior nota est, minor  
40 probatur, quia ista sunt et primum principium est, et ista non

<sup>185</sup>) Codd.: ad A. — <sup>186</sup>) Codd.: convertibile A. — <sup>187</sup>) Codd.: negetur GH.  
— <sup>188</sup>) Codd.: dentur F. — <sup>189</sup>) Codd.: om. A. — <sup>190</sup>) Codd.: in I del.; om. H.  
— <sup>191</sup>) Codd.: de istorum K; del. L. — <sup>192</sup>) Codd.: et esse om. F. — <sup>193</sup>) Codd.:  
om. A. — <sup>194</sup>) Codd.: illa GHFK.

sunt primum principium, ergo ista sunt alia a primo<sup>195</sup> principio; ecce iste omnes sunt vere<sup>196</sup> et consequencia bona, ergo minor vera, quod erat probandum etc.<sup>197</sup>

Explicunt principia in quatuor libros Sententiarum  
reverendissimi Magistri Petri Lombardi Episcopi  
Parisyensis.H

---

<sup>195</sup>) *Codd.*: post principio A. — <sup>196</sup>) *Codd.*: in marg. t<sup>2</sup> inscr. — <sup>197</sup>) *AL*:  
*om. Codd.*; a *rubr.* liber quartus habet 50 dist. I.

---